

642-644





---

---

D. THOMAS

OPERA

in Sententijs

9

. 4 .

---

---

BX1749

.T6

1769-70

v.2



DIVI THOMÆ  
AQUINATIS,  
DOCTORIS ANGELICI,  
ORDINIS PRÆDICATORUM,  
OPERA,

JUXTA EDITIONEM VENETAM MDCCLV.  
AD PLURIMA EXEMPLA COMPARATAM.

*Editio I. Matritensis à quam pluribus mendis repurgata.*

ACCEDUNT

FR. JOANNIS FRANCISCI BERNARDI MARIE DE RUBEIS  
IN SINGULA OPERA ADMONITIONES PRÆVIAE.

TOMUS SECUNDUS,

Complectens SCRIPTUM in SECUNDUM SENTENTIARUM LIBRUM.



Capilla Alfonsina  
Biblioteca Universitaria



SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI: MDCCLXIX.

EX TYPPOGRAPHIA VIDUÆ ELISÆI SANCHEZ.

DEL ESTADO DE MADRID FONDO BIBLIOTECA PUBLICA



BX1749

T6

1769-20

v. 2



1080046815

FR. JOANN. FRANC. BERN. MARIE DE RUBEIS  
 IN SINGULA OPERA ADMONITIONES PRÆVIÆ  
 TOMUS SECUNDUS  
 AD PLURIMA EXEMPLA COMPARATAM  
 JUXTA EDITIONEM VENETAM MDCCLV.  
 OPERA  
 ORDINIS PRÆDICATORUM  
 DOCTORIS ANGELESI  
 TITIANI  
 AUCTORIS



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA DEL ESTADO DE NUEVO LEON

EX TYPOGRAPHIA VIDUÆ ELISÆ SANCHEZ

FR. JOANN. FRANC. BERN. MARIE DE RUBEIS,  
 ORDINIS PRÆDICATORUM,  
 ADMONITIO PRÆVIÆ

in qua

- I. *Thesium censurae, per Episcopos Parisienses, Guillelmum, & Stephanum late, confirmataeque à Roberto de Kildvvardbi Archiepiscopo Cantuariensi in Anglia, recensentur.*
- II. *Nonnulla doctrinae Divi Thomae capita per easdem notari, audax, & imperita quorundam opinio fuit. Præcipui Divi Thomae vindices.*
- III. *De peculiari thesium damnatione agitur, quam tulit Robertus de Kildvvardbi, confirmavitque, & auxit Joannes Pekarus in Sedem Cantuariensem suffectus.*
- IV. *Recentiores doctrinae ab Aquinate tradita censores, ejusque vindices.*
- V. *Guillelmi Parisiensis Episcopi censura immune ostenditur Theologicum dogma de affluentiore dono gratiae, aliis, & aliis Angelis concessio, pro naturae eorum præstantioris discrimine.*
- VI. *Animadversiones generales in censorium Stephani Tempier Antistitis Parisiensis judicium.*
- VII. *Idem ab altero Stephano de Bourreco abrogatum, quatenus doctrinam Sancti Thomae rangebant, aut tangere videbatur.*
- VIII. *Revocatoriae ejusdem Stephani litterae, genuinae sunt, & vindicantur.*
- IX. *Censura quaedam in triginta & octo ex Alberto Magno, & Thoma Aquinate excerptas theses, veluti saeculo quartodecimo lata, & nomine Roberti de Bardis inscripta, expenditur rejiciturque.*

**D**UM germana Divi Thomae Aquinatis Opera criticis admonitionibus præviis expendimus, & vindicamus, dubia revocamus ad examen, rejicimusque supposita; non ita nobis angustos præfigi cancellos putavimus, ut si quæ sunt audacium Censorum judicia in ipsam Thomae doctrinam, intacta prætermittere, inita nulla discussione, deberemus. Pugnavimus ergo in prævia ad Commentarios in *Epistolas Divi Pauli* admonitione contra Erasmus, & Ricardum Simonium, qui nonnulla doctrinae ab Aquinate traditæ capita nimium acerba, & iniqua notarunt censura: pluresque Sacrae Scripturae Interpretes, ac Bibliographos insequuti in ea sumus, quam Commentariis in *Isaiam* admonitionem præmissimus, methodum ab eodem Aquinate servaram in explanandis Veteris Testamenti prophetiis atque typpis, tutantes, & vindicantes. Alii succedunt non pauci adversarii, qui dogmata plura, quæ Theologicis in operibus suis tradit Thomas, traducere in invidiam conati sunt: adhibentque censuras quasdam Parisienses, & Oxonienses, ac si aut errores per eas damnatos instauraverit Thomas, aut Thomae sententiæ quaedam per easdem confixæ fuerint. Piaculum foret, hæc surda aure, & immoto calamo præterire.

Memoratas primo loco censuras recenseo, earumque auctores: ac tempora desinio, quibus ipsæ late sunt. Primus adest Guillelmus Parisiensis Episcopus, qui anno Domini 1240. in *Octava Epiphaniæ* (die 13. Januarii) errores quampulres *derefastiles contra Catholicam veritatem, repertos in quibusdam Scriptis*, nigro theta notavit, damnavitque. Is est Guillelmus, hujus nominis *tertius* in Parisiensibus Tabulis, dictus *Arvernus*. Annus ille 1240. stylo vetere, numerandus est stylo novo insequens 1231. à Kalendis Januariis inchoatus. Theses condemnata, refert omnes Carolus Duplexis de Argenturè, Sorbonicus Doctor, & Episcopus Tutelensis, in *Collectione Judiciorum de novis erroribus tom. I. pag. 186.* Nimium sibi indulgebant lascivientia nonnullorum Academicorum ingenia, quorum licentia censurarum



frano cohiberi debuit. De quodam errore per hanc censuram damnato, quem instauratum ab Aquinate putarunt olim adversarii, agendum infra.

Segetem errorum amplissimam, qui ab Academicis vulgabatur, haud satis amputaverat Guillelmus Parisiensis Antistes; Curas diligentiores adhibuit Stephanus Tempier, ejusdem Ecclesiae Episcopus, qui Romani Pontificis litteris admonitus, permotusque, theses plurimas notavit, *novemdecim ac ducentas* ab aliquibus numeratas, ab aliis *duas & viginti supra ducentum*, quas in posterum Academicorum ne mo traderet, ac teneret: eisdemque Oxoniensi in Anglia Academia, ac insuper plures alias, exulare iussit Robertus de Kildvvardbi, Archiepiscopus Cantuariensis, ex Ordine Prædicatorum adsumptus, sacra etiam purpura donatus.

Post initum confectumque examen, coram, palamque vulgata demum est Censura Parisiensis, datis ab Stephano litteris anno Domini MCCLXXVI. die Dominica, qua cantatur, Latere Hierusalem, in Curia Parisiensi: dataeque leguntur Roberti de Kildvvardbi litteræ die Jovis proxima ante festum Sancti Cuthberti in Quadragesima anno Domini MCCLXXVI. litteras prædictas, erroreque damnatos, diligentia facta collatione cum manuscriptis Codicibus Sorbonicis, recenset loco citato laudatus Dargentæus. Annum 1276. stylo veteri intellige, computatum ab Incarnatione, vel à Paschate, qui civilis & Julianus, novo stylo, numerandus est 1277. Hoc anno, littera Dominicali C. insignito, incidit Sanctum Pascha die 28. Martii. Hinc die 7. ejusdem Martii, Dominica Latere, Stephani Parisiensis censura vulgata est: & die 18. Martii, seu die Jovis post Dominicam in Pasione, proxima ante festum Sancti Cuthberti, quod insequenti die celebratur, suam Oxoniæ tulit censuram Robertus Cantuariensis. Hinc etiam in prioris censurae Parisiensis epocha dissidium nullum in Codicibus, quorum alii apud Dargentæum notant annum 1276. alii 1277. stylo veterem, novumque animadvertit: ac antilogia evanescit omnis. Sed eadem Stephani censura perperam editis aliquibus in exemplis, quæ referunt laudatus Carolus Duplessis, & Franciscus Sylvius in Oratione apogetica pro S. Thomæ Aquinate habita Duaci anno 1624. die 7. Martii, lata legitur anno 1226. aut 1227. Aut enim altera cifra 2. pro 7. typo errante, substituta fuit: aut in anno Romanis numeris expresso MCCXXVI. littera L. excidit, aut quacumque demum ex causa prodierit, corrigendum mendum est. Quæ libuit hoc loco diligentius adnotare, ut dogmatum Divi Thomæ vindices elumbe noverint argumentum, quod ipse Sylvius, aliique promunt ex epocha illius anni 1226. aut 1227. quo Thomas Aquinas non modo nihil scripserat, docueratque quod Parisienses, & Oxonienses Doctores notarent; sed in hanc mundi lucem vix anno prædicto emissus ille fuerat.

II. Jamvero, circiter decimus ab Aquinatis obitu labebatur annus (ære vulgaris 1284. verba sunt, Sylvii loco citato) cum ecce lucubrationes ejus audaculus quispiam ad suum tribunal, tamquam censuræ, citavit: & insigni pariter inscitia, & petulantia correxit, ut quidem ipse loquebatur: librumque, edidit, *Correctorium Thomæ* inscriptum: "censurasque memoratas, quas Guillelmus, & Stephanus Parisiensis tulerant, adhibebant ut dogmata nonnulla ab Aquinate tradita pro damnatis habenda ostenderet. Is est Guillelmus la Mare, vel de Mare, vel de la Mare, Anglus natione, Doctor Oxoniensis: de quo Vvadingus in Annalibus verba facit ad ann. MCCXC. num. 18. ipsumque vocat *serium nimis indagatorem eorum, quæ objicere posset contra Sanctum Thomam*. Præcipua doctrinæ capita, quæ oppugnari posse, veluti prædictis Censuris jam notata, putavit ille, infra dabimus, & vindicabimus.

In arenam pro Thomæ contra Lamaræum descenderunt consodales plures, qui doctrinæ præstantia ævo illo florebant. Memorant Laurentius Pignon, Leander Albertus, & alii, insigne à Ricardo Knappvel, seu Clapoel, Anglo, Sacræ Theologiæ Magistro Oxoniensi, elucubratum sub finem sæculi 13. opus, contra corruptorium Fratris Thomæ de Aquino. Nempe *Correctorium à Guillelmo Lamaræo inscriptum*, vocitari solebat *Corruptorium*. Similis argumenti opus, contra *Corruptorem Sancti Thomæ*, Joanni Parisiensi, quem secundum hujus nominis appellant, ad antiquioris discrimen, qui *Pungens-asinum* cognominabatur, adjudicant veteres Nomenclatores. Anno Christi 1306. florebat ille. Liber prodiiit Venetiis, qui *Correctorium Corruptorii Fratris Thomæ* inscribitur, typis Octaviani Scoti anno 1516. fol. sub nomine Fr. *Ægidii de Columna Romani*, Ordinis S. Augustini, Archiepiscopi Bituricensis, anno 1316. denati. Operis initium est: "Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum ex vobis nullus sit, qui possit me arguere? Job vi. Quæstio proposita optime in persona Fr. Thomæ de Aquino Doctoris eximii, cuius jus doctrina fulget Ecclesia; proponi potest quibusdam, qui ejus doctrinam, immo veritatem, quam docuit Parisiis sermonibus veritate plenis, & Spiritu veritatis insigante conscripsit, detrahentes de, pravare nituntur, &c." Veneram priorem aliam anni 1501. hujusce operis editionem memorat Guillelmus Cave: aliamque Coloniensem ævo sequiore, seu anno 1624. curavit Gualterus Strevesdorf Colonienfis Eremitarum S. Augustini Prior: ac recentior Neapolitana demum profertur anno 1644. accurata. Prodierunt omnes sub ejusdem Ægidii de Columna nomine: suamque fœdavit editionem Strevesdorfius interpolationibus, animadvertente Carolo Duplessis Dargentæo, Sancti, & Angelici Doctores

ris adjecto cognomento, quoties Thomam nominari contingit, contra fidem Codicum Mss. qui Sorbonensi in Bibliotheca adservantur: novumque titulum commentus est, scilicet, *Defensorium, seu Correctorium librorum Sancti Thomæ contra Guillelmi Lamaræi Thomæ-mastygis Corruptorium*.

Atqui vero plura, ac solida proferuntur argumenta Dargentæus loco citato, & Echardus, Tomo I. Scriptorum Ordinis Prædicatorum, pag. 503. quibus ab Ægidio idem opus abjudicatur, tribuendumque evincitur cuidam Ordinis Prædicatorum alumno: an Ricardo Clapoelo, an Joanni Parisiensi II. incertum. Nihilominus veteres, recentisque præsto sunt Scriptores, qui parisi argumenti lucubrationem laudato Ægidio de Columna adjudicant. Dignum illud animadversione: à Joanne Pico Mirandulano in Apologia, quæst. 1. de descensu Christi ad inferos, ipsum induci Ægidium, qui adnotet, de Parisiensibus articulis abs Stephano dampnatis nihil esse curandum, quia fuerunt facti, non convocatis omnibus Doctoribus Parisiensibus, sed ad requisitionem quorundam Capitulorum (sic nempe ibidem.) Quæ verba, cum Dargentæo teste, non reperiantur nec in Sententiarum libris, nec in Quodlibetis ab Ægidio elucubratis, nec in edito sub ejus nomine *Defensorio S. Thomæ*, aliud opus indicare videntur, quod ipse pro Aquinate elucubraverit. Prætermittere demum non licet Manuscriptum quoddam *Correctorium Corruptorii*, in Sorbonensi Bibliotheca adservatum, quod incipit: *Sciendum est igitur: I. part. Summ. quæst. 12. quarit Sanctus Thomas, &c.* Durando de Aureliaco, qui vulgo *Durandellus* dicebatur, opus attribuit Echardus: non illi, sed alteri Scriptori adjudicandum censet, ac evincere videtur Dargentæus. Ipsum consule virum doctissimum.

III. Præter articulos, vulgo Parisienses dictos, quamplures alii, qui triginta & unus numerantur, damnati profertur in Oxoniensi censura, nomine Roberti de Kildvvardbi Archiepiscopi Cantuariensis lata, ad Grammaticam, ad Logicam, ad Philosophiam spectantes. Theses aliquæ Divi Thomæ notatæ videbantur: quæ nempe ad unam substantialem in homine formam adstruendam pertinent. Kildvvardbio in eandem sedem Cantuariensem anno 1279. successit Joannes Pekamus Ordinis Minorum, qui latam à Prædecessore censuram confirmavit anno 1284. Hanc refert laudatus Dargentæus, tom. 1. citat. pag. 234. in eaque, paullo commutatis verbis, triginta recensentur articuli. Pekamum olim æmulum fuisse Thomæ Aquinatis, Lutetia Parisiorum secunda vice scholam regentis, contraque ipsum in publicis disputationibus oblectantem, narrat Bartholomæus Logothera Regni Siciliae in Processu Canonizationis apud Bollandi Continuatores cap. 9. num. 77. Verba ejus sunt: "Item dixit idem testis (Logothera) se audivisse à pluribus Fratribus Prædicatoribus fide dignis, quod quando idem Frater Thomas, una vice disputabat Parisiis, ubi erat Frater Joannes de Pizano (de Pekamo) Ordinis Fratrum Minorum, qui fuit postea Archiepiscopus Cantuariensis, quantumcumque dictus Frater Joannes exasperaret eundem Fratrem Thomam verbis ampullosis, & tumidis, nunquam tamen ipse Frater Thomas, restrinxit verbum humilitatis: sed semper cum dulcedine, & humanitate respondit. Laudati Bollandiani in Notis ex Vvadingo habent, adservari Oxoni in Collegio Meitonensi *manuscriptas disceptationes Thomæ, & Pekami*.

Latam, vulgatamque à Kildvvardbio censuram, & à Pekamo confirmatam, ægre tulerunt nostrates consodales, aliique Doctores. Guillelmus de Morbeka, qui libros Aristotelis, postulante, & urgente Thoma, de græco in latinum verterat, Archiepiscopus Corinthiis datus ab Innocentio V. vel à Joanne XX. dicto XXI. acres litteras dedit Kildvvardbio, de suæ levitate censurae ipsum admonens, ejusdemque sanioerem declarationem serio postulans. Repositam à Cantuariensi Archiepiscopo *epistolam ad Archiepiscopum Corinthi de articulis condemnatis in Anglia præstant Codices Mss. Anglicanus alter, & alter Florentinus apud Echardum, cum sequenti inscriptione: Fr. Roberti Cantuariensis ad Archiepiscopum Corinthi declaratio falsitatis quorundam articulorum Oxoniae condemnatorum*. A Florentinis consodalibus irritò voto perquisivimus, num hocce scripto præconcepit sententiam firmaret Robertus, an palinodiam caneret. Hac de re Guillelmus Ochamus in Dialogis 1. P. Lib. II. cap. 24. sic habet: "Magister . . . De primo (Kildvvardbio) diversis modis dicitur à diversis. Dicunt enim quidam, quod damnatio sua temeraria existeret, eo quod veritates, ut dicunt, condemnavit. Unde & quidam alii, Archiepiscopus (Corinthi) ipsum de dicta damnatione acriter reprehendit: scribens ei epistolam, in qua manifeste asseruit, quod veritates damnaverit. Neque solum nostræ gentis hominum hocce iudicium erat: sed & plures alii, ipsam (censuram) fuisse temerariam putarunt: (laudati Okami verba sunt.) Plures enim Parisienses Doctores, & Scholares assertiones damnatas à dicto Archiepiscopo publice tenuerunt.

Adversarios Pekamus non paucos, nostrates, & externos nactus est, quos inter eminuit Ricardus Clapoel Ordinis Prædicatorum, quem additissimum Thomæ, ejusque doctrinæ nobilem vindicem contra Guillelmum de Lamare superius laudavimus. Articulos octo, quos ipse, pro Thomæ vindicias agens, palam è suggestu docuerit, veluti toridem errores, aut hæreses, ad Pekami Archiepiscopi tribunal detulerunt æmuli. Cæterum Magistrorum Londini in Ecclesia Beatae Mariæ de Arcubus coegit ille anno 1286. in dictione 14. utlimo die Mensis Aprilis: prædictosque articulos tamquam hæreses declaravit, & pronuntiavit esse